



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

Nieremberg, Juan Eusebio

Paderbornæ, 1711

Decas VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

ciunt. In perversis contrarium habetur: malè svadendo perdunt, malè agendo roborem tollunt. Inter plures malos facile est periclitari aliquem bonum.

57. Multas injurias dissimulatio sepelit. Earum non ille solùm causa est, qui infert ex odio, sed qui accipit cum imprudètia.

58. Non videri sensisse injuriam, innocens est vindicta. Lædens intendit affligere, læsus autem dissimulando vicem reddit, frustrans spe pessimum offensorem, & torquens in malitia sua.

59. In rerum eventibus non expedit commoveri; saltèm sensum nè monstaveris. Si adversum quid est, dissimula; nè hosti gaudium parias; si fors prospera, non plaude nè ambitiosum irrites.

60. Ibi miles urbem aggreditur, ubi debilior est. Cur te detegis hosti tuo, ubi infirmus es, ubi feriri potes? Prudentis est sensum tegere, nè quis noverit, ubi possis vulnerari.

DECAS VII.

61. Ut alterum possideas, affectibus ejus invigila. Hac porta muros subibis, & animum occupabis. Artis est nosse placere,

re, & forſitan non minoris felicitatis, modo aſſentatio abſit.

62. Morosè negotia auſpicanda ſunt, finienda celeriter. Ut bellum citò abſolvās, & auſpicatè, plurima obſervanda ſunt. Dimidium facti habet, qui maturè prævolverit.

63. Stultum eſt exiſtimationem nè perdas, deperire. Hoc accidit, cùm eam verbis defendimus: quibus ſi paſſio acceſſerit, etiã ſi ratio ſubſit, facilè excedimus, amittentes plùs authoritatis defendendo illam, quàm hoſtis impugnando.

64. Invidia eſt tinea fortunæ. At duobus modis præſtat invido, qui invidiam patitur. Hoc enim turpiſſimum vitium eſt, illud periculum honoratum.

65. Nihil magis inimicum homini, ac alter homo. Valentiffimum eſt hoc invidiæ virus: ubi infecerit, non admittit antidotum. Plures hoſtes negotiatur æmulatio, quàm injuria. Invidia autem mediũ non habet: ſemper nocentiſſima eſt; ſolùm prodeſt, cùm virtutẽ impedit.

66. Paſſionibus irretito credendum eſt parùm: alieno à lucris, & munerum corruptio-

ruptio-

ruptione plurimum : invidioso nihil.

67. Plus amittitur in turpi lucro, quàm honesto damno. Hoc affligimur semel, illius semper poenitet.

68. Non judices te plus ditari, si opes, quàm si honor, accrescat. Semper famæ, quàm nummi dignior est cura. Cum infamia ditescere, pessima jactura. Bonum nomen ingens patrimonium.

99. Nusquam in hoc mundo securè agitur. Malus semper metuit Leges, bonus semper fortunam. Nam hujus ira bonis etiam infesta est : illarum pæna solum insequitur malos. Securissima mora est quæ in eo, quod convenit, deliberando insumitur.

70. Ad evitanda vitæ discrimina plus conducunt consilia, quàm vires. Pejus est nescire vivere, quàm non posse. Plus laborandum est, sortem bonam ut serves, quàm ut invenias.

DECAS VIII.

71. Sta verbis tuis, & quod pollicitus es, non infringe. Fide enim semel amissa nihil superest, quod amitti possit. Assuetudine jurandi periclitaris de fide: vocas